



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

**C**ur itaque o filia tu paribus tantisq; iam vis mergi periculis? Cur ad mortem tua peccata differes confiteri? Quid hominem peccatorem erubescis? Et ipse cui tu te accusas peccator est. Pone igitur pedem super dzmone vnum, alterum pone super verecundiam, aut potius superbiam tuam, & euome viras quod tibi diabolica insauit illusio. Homo est qui te audit similis tui, aut te fortasse in periculis profundior. Quid refert, si hoc illud ve homo de te cogitet? Sim tibi amicus ego, & totus mundus infestus, quid tibi nocebit? Reuertere igitur ad me filia, & execrare dum execrandi tempus est, mala opera tua. Inspice quanta patior pro te. Loquacitatem, luxum, peccata ventris, curiositatem, otium, aliaq; peccata cito superabis, si poenas meas, si vulnera, si fidelissimum denique erga te amorem meum meditata fueris. Consolaberis, atque in aliam mutaberis. Non erit graue delictis abstinere, non erit molestum carere mundi gaudijs, non erit triste honoribus destitui, quia hæc omnia suauiori modo ac castiori in me reperies. Si impugnat diabolus, ad vulnera mea confuges. Si molestiam sentis aut poenam, dulcorabunt tibi has angustias meæ. Cæterum si passio te hæc mea non commouerit, si mea charitas te accendere nequiverit, vel poena æterna te perterreat. Recordare quam breuis momentaneaq; sit delectatio peccati: contra verò quam sine fine perpetuoq; duratura sequatur poena. Cogita quid sit æternum quod nunquam finietur. Quantumlibet dempseris de æterno, siue de eo quod sine caret, quantislibet annis poenas tolleraueris, tantundem semper adhuc restat, nunquam enim potest minui, quod sine caret. Et, tunc in illas gehennæ poenas te præcipitabis, ne breui modo careas delectatione? Tunc tam breue gaudium quod est vnus momenti sempiternis tibi comparabis supplicijs? Verùm de hoc iam satis. Quæ tibi post hæc necessaria sunt, si præbueris aurem, alio tempore adijciam. Respice, resurge, & Viue.

Quenam  
faciant faci-  
le peccata  
deserere.

**D. IOAN. IVSTI LANSBERGII.**  
In alloquiorum Iesu Christi,  
Partem II.

PRAEFATIO.

**E**go diligentes me diligo, & deliciae meae esse cum filiis hominum. Sic dilexi mundum ut in mortem darem animam meam, ne pereat, sed habeat vitam æternam quicumque in me crediderit. Ego ò anima pro te laboravi, esuriui, sitiui, contemptum & persecutionem passus sum. Vulneratus sum propter iniquitates tuas, attritus propter scelera tua, mortuus propter delicta tua, resurrexi propter justificationem tuam. Ad hæc omnia me impulit amor, quo te diligo, & in filiam adoptionis adquisico. Itaque tu respiciens, adamantem reuertere, in vulnerum meorum sanguine laua te, virtutibus & vita mea meritis vestire. Omnia hæc libens tribuo, nunc ut amantissimus pater hæc offerens tibi occurro in amplexum, ad osculum te recipio, & ad redamandum te inuito. Reuertere filia, & mundare. Prebe cor tuum mihi, quia præter hoc aliud abs te non desidero. Porro, quomodo tota ad me reuertaris, quomodo in corde tuo mihi delicias præpares, quomodo amorem meum respicias, quo denique modo tu quoque respiciaris, aduerte.

Pro. 8.  
Hier. 12.  
Ioan. 3.  
Esaie 1.  
Esaie 53.  
Rom. 6.

Pro. 21.